XVIII-1-12

Caja C-96

3
23 - 4º

Caja
C-23

27.a.2
- 4 -

i 11839831

# LEXICON PENTAGLOTTON,

## Hebraicum, Chaldaicum, Syriacum, Talmudico-Rabbinicum, & Arabicum:

IN QVO OMNES VOCES HEBRÆÆ, CHALDÆÆ, Syræ, Rabbinicæ & Arabicæ, adjectis hincinde Persicis, Æthiopicis & Turcicis, ordine Alphabetico, sub suis singulæ Radicibus digestę continentur: Earumq; Significationes, Usus ac Elegantiæ, ex SS. Hebræis Bibliis; horum Chaldaicis Paraphrasibus; Testamento N. Syriaco; utroq; Babylonico & Hierosolymitano Talmudo, Midraschim, Rabbinorum Commentatoribus, Theologis & Philosophis; Arabica V. & N. Instrumenti Translatione, Alkorano, Avicenna, &c. ut & Græca LXX. Interpretum, & omnibus Latinis Bibliorum versionibus, doctè, amplè, ac dilucidè proponuntur & explicantur.

*VARIORVM ITEM INTERPRETVM DIFFICILES, ac discrepantes sententiæ conferuntur, & examinantur.*

Nil addit Expurg! an. 1707.

COLLECTUM, ET CONCINNATUM

à

Clarissimo & doctissimo viro,

*DN. VALENTINO SCHINDLERO OEDERANO,* Authore damnato

*Linguarum Orientalium in celeberrimis Witembergensi & Helmstadiensi Academiis, quondam Professore.* Authore damnato.

Opus novum, nunc post Authoris obitum, ex ipso Autographo fidelissimè descriptum, & in locis dubiis cum Bibliis Regiis collatum, [redacted] in lucem editum. prohibitum, Cum Expurg.e permissum

*Cum triplici* INDICE:

1. Abbreviaturarum Hebræarum copiosissimo.
2. Nominum propriorum hoc LEXICO citatorum.
3. Omnium vocum Latinarum, quibus dicta Idiomata explicantur, locupletissimo.

Esta expurgado de Att.o conforme al expurgatorio nuevo de 1640.

Cum privilegiis S. Cæs. Majest. & Regiæ Galliarum.

*Cura & Auspiciis RULANDIORUM.*

HANOVIÆ,

Typis Joannis Jacobi Hennëi.

MDCXII.

Ne vero quis, vel Typographorum, vel Bibliopolarum, eorum præsertim, qui contra omnem & pietatis, & æquitatis rationem, ex aliorum labore, & impendio suum compendium, cum illorum gravi dispendio, facere satagunt, Edictorum seu Privilegiorũ S. Cæs. & Regiæ Majestatis ignorantiam prætendant, eorundem summam hic subjiciendam duximus.

## *Summa Privilegii, seu Edicti Cæsarei.*

RUDOLPHI II. Romanorum Imperatoris semper Augusti Diplomate cautum, & edictum est, ne quis alius in universo Romano Imperio, præter RULANDIOS, hoc LEXICON PENTAGLOTTON, VALENTINI SCHINDLERI, intra annos decem, ab ejus editione numerandos, imprimat, aut imprimi curet, neve alibi, hac, vel alia forma excusum, venales habeat, vel quovis modo distrahat, sub pœna in Diplomate comprehensa, & confiscatione omnium ejusmodi librorum. In cujus rei fidem ipsa Cæs. Majest. Diplomati manu subscripsit, & sigillum imperiale apponi jussit.

## *Summa seu tenor Edicti Regii.*

LOUIS *par la grace de Dieu, Roy de France, & de Nauarre &c. Nous auons permis, ottroyé, & accordé, permettons, ottroyons, & accordons par ces presentes aus* Rulands, *que par tels libraires que bon leur semblera, apres l'impression de ce liure intitulé,* Lexicon pentaglotton *&c.* Valentini Schindleri *&c. il le puissent faire vendre, ou distribuer en cestuy nostre Royaume, païs, & terres de nostre obeyssance, sans que par aucuns Libraires, ou Imprimeurs, demeurans, si non ceulx qui auront pouuoir d'eulx, durant dix annees consecutiues, à commencer du iour, que sara fini la dicte impression, il puisse estre imprimé, ny mis en vente. Ce que nous leur defendons tresexpressement, à peine de confiscation des exemplaires, qui s'en trouueront, de deux mille liures d'amande, & de tous depens, domaiges, & interests, desdicts* Rulands *&c. Non obstant oppositions, ou Appellations quelconques, & Lettres à ce contraires, car tel est nostre plaisir. Donné à Paris le 22. iour de Nouemb. L'An de grace* MDCX. *Et de nostre Regne le premier.*

Par le Roy, en son Conseil.

Verdin ss.

*Generosis, Magnificis & Nobilissimis viris,*

# DN. THOMÆ A KNESEBECK,

Electorali consiliario intimo, Veteris Marchiæ præsidi, &c.

# DN. KUNRADO A BORSTEL,

principis Anhaldini Consiliario præcipuo, præfecto in Bernburg, & Warmstorf, &c.

# DN. LEVINO A BORSTEL,

Domino hæreditario in Westeregeln.

# DN. IVLIO à MARENHOLTZ,

Domino hæreditario in Steimbken, &c.

*Dominis & patronis meis colendis.*

GEnerosi, Magnifici, nobilissimíq; viri, patroni plurimùm honorandi. Vestra virtus eximia facit, præsertim ea, quæ summa est in omnibus; quæ uniuerso generi humano, si qui in hoc incumbant, à Deo optimo, maximo, sapientissimo concessa sunt; Ut sapientissimos vos prædicent ii, qui totos se addixêre studio sapientiæ, & hoc negotium sive soli, sive præ aliis intelligunt. Quorum ego, cùm plures, qui mariti mei amici fuêre, consulerem, quibus potissimùm hoc ipsius opus inscriberem, auctores mihi esse non dubitârunt, idipsum ad vos mittendum esse potissimùm. In hoc eos, virtute, & doctrina præstantes, cùm non aberrare crederem, feci, quod jubebant. Ajebant autem, primùm vos è quamplurimis, & primis equestris ordinis, hæc omnium optimè intelligere: scire enim, quantum referat in Republica Christiana, linguarum, quæ hoc Lexico publicè explicantur, cognitionem conservari, quæq; illarum sit & utilitas, & necessitas: alterum, quòd de vestra erga auctorem (utinam ille vivat) ejúsque viduam, & liberos benevolentia, nihil dubitarent, quæ esset omni occasione beneficentia. Hoc addit, qui hæc scribit, aliorum, ad vos, nomine: beneficentiam esse divinum hominum generis non solùm vinculum, sed in rebus humanis beatitudinem, ab altera verò, etiamsi longo intervallo, proximam. Neque enim alia ratione virtutem exercent, & probant, quibus eæ facul-

cultates sunt: & hoc pacto egentiores, beneficos, sive munificos colunt secundùm ipsum Numen. Ipsa autem vidua, meiq; liberi, vos rogamus, ut hoc munus, vobis dignum existimatum, æquo animo acceptetis, & patroni nobis esse dignemini. De marito meo VALENTINO SCHINDELERO, Vestræ Magnificentiæ à multis abhinc annis cognoverint, &, si per negotia vobis liceat, cognoscêt ex aliis, déque ipsius potissimùm studio juvandi Sacrarum litterarum intelligentiam, quam viri docti absque linguarum, quas ipse inter se contulit in hoc Opere, cognitione mutilam mancamq; esse judicant. Unum rogo, & obsecrant mei liberi, ut hoc munus à nobis libenter accipiatis, & nos in clientela vestra pro bonitate vestra spem aliquam ponere jubeatis: quod pro vestra summa virtute facere non dedignabimini. Valete Viri amplissimi, & me, meósque liberos vestra humanitate complectimini, & singulari, quæ vestra est, erga bonos & litteras benevolentia. Helmæstadij in Acad. Jul. VII. Idus Quinctil. cIↃ IↃ CXI.

Vestris Magnificentiis

*addictissimi*

VIDUA, & LIBERI
Valentini Schindeleri.

renco Valderamen
Vicario De Medina
ron

Medina

CIↃ IↃ CXI.

Serenitatis, & Celsitudinis vestræ

*Obsequentissimus.*

IOAN. CASELIUS.

# ENGELBERTUS ENGELS
## MARCODURANUS JULIACENSIS,
### LECTORI STUDIOSO S. P. D.

QUAM deploranda in humano genere calamitas, humaniſſime Lector, quàmque inæſtimabile damnum linguarum ſit, vel confuſio, vel diviſio, Epicurei certè, Miſanthropi, Ciclopes & cęteri, omnia ſuſque deque habentes, vel non intelligunt, vel non curant. Verùm ſanioris judicij homines, ij maximè, qui cauſam ejus in Verbo Dei revelatam conſiderant, optimè, & quidem maximo animi dolore, animadvertunt, evidentiſſimum illam eſſe iræ divinæ ſignum: horribilem graviſſimorum peccatorum, ſuperbiæ videlicet, ſecuritatis, contemptus Dei, & Eccleſiæ, pœnam: cauſam item etiamnum hodie manifeſtiſſimam diſſociationis animorum, nec non mutationis cùm ingeniorum, tum ſtudiorum, & morum. Ea propter, quantum è contrà bonum ſit, res quàm præſtans, quàm precioſa, & utilis, linguarum cognitio, patet & hinc, & ex eo, quòd D. Apoſtolus Paulus 1. Corinth. 12. v. 10. inter alia Spiritus S. χαρίσματα, quæ ab immenſa Dei, per Chriſtum unicum Salvatorem noſtrum nobis reconciliati, benignitate in communem totius humani generis ſalutẽ, Apoſtolis in primis ſunt conceſſa, *Sapientiam* puta, *ſcientiam, fidem, ſanationes, efficacias potentiarum, prophetiam,* & *diſcretiones ſpirituum,* numerata quoque ſunt τὰ τῶν γλωσσῶν γένη. Et quidem linguarum genera, quàm utilia ſint hominibus, quàm neceſſaria in Theologia, Politia, imò in omnibus ſcientijs, & facultatibus, dici ſufficienter vix poteſt. Nam ut hodie, ad procurandam aliarum quoque nationum, ſeu gentium ſalutem, linguæ vel maximè requiruntur; ita & olim Euangelij doctrina, in qua tamen æterna totius mundi ſalus conſtitit, per Orbem, abſque linguarum notitia, divulgari non potuit. Unde & Salvator miraculo, & quidem tanto, quantum in Veteri Teſtamento accidiſſe uſpiam non legitur, Apoſtolis ſuis variarum, diverſiſſimarumque linguarum cognitionem dedit. Ipſam naturam hominis, & civilem ejus converſationem quod attinet, ἄνθρωπος πολιτικὸν ἐστι, καὶ κοινωνικὸν ζῶον. Ut autem τῶν ἀλόγων alia alijs forma, naturæq; ſimilitudine conciliantur, ita homines hominibus tum ratione, tum vel maximè uſu ſermonis: ſed ſermonis utrobique intelligibilis. Etſi autem quælibet natio proprium habeat ſermonis genus, ſicque ὁμοχώριοι, καὶ ὁμόγλωσσοι amicitiam inter ſe contrahere, nec non de rebus ad communem vitæ uſum pertinentibus, familiariter & utiliter ſermones conferre poſſint, ut non modò non neceſſarium, ſed etiam ſupervacaneum alicui videatur linguis peregrinis tempus aliquod, & operam impendere. Quia tamen vel legationum obeundarum cauſâ, vel ſtudiorum quorumcunque gratiâ, vel mercaturæ exercendæ ergò in exteras regiones ſæpe inſtituenda ſunt itinera, non ſufficit undique vernacula lingua, ſed & exoticarum comparanda eſt cognitio; ſive artium liberalium ſtudioſus quis fuerit, ſive mercator, ſive aulicus: cuilibet tamen pro ſua vocatione. Imò omnis qui in quolibet vitæ genere ſui ordinis hominibus antecellere concupierit, ſola lingua materna non poteſt, nec debet eſſe contentus. Atque id partim ob allatas modò cauſas: partim item, ut in vita communi, vel ex converſatione cum peregrinis, vel ex librorũ idiomate peregrino conſcriptorum, lectione augmentum capiat eruditionis, prudentiæ, ſapientiæ, cæterarumq; ad piam, & tranquillam hujus vitæ tranſactionem, neceſſariarum virtutum. Adhæc ut noſtri idiomatis ignaros, & noſtra vel inſtructione, vel ope indigentes (quod indies ferè accidere ſolet;) auxilio eſſe poſſimus. Hanc verò cauſam, non eſt ut quiſquam tanquam frivolam levioriſve momenti exſibilet. Deus enim, Exod. 23. verſ. 4. ſeveriſſimè mandat, ut vel cum jactura proprij commodi, *bovem & aſinum*, & quidem *inimici noſtri, errantes ad eum ducamus.* Quòd ſi animanti irrationali, quanto magis in eodem caſu, homini cujuſcunque vel regionis, vel religionis, hoc charitatis officium eſt exhibendum. Hæc, ne quid de voluptate, quæ citra controverſiam maxima eſt, dicam, cùm ſit vulgarium

vulgarium linguarũ utilitas, & necessitas; Hebrææ profectò linguæ, & cognatarum, longè major est. Hac enim ipsa Deus revelavit, hac eadem & Prophetæ conscripserunt ea omnia, quæ ad salutem hominis æternã sunt necessaria. Eamq; ob causam unica hæc est, ad quam in religionis controversiis, quotiescunq; ad illarum dijudicationem aliquid ex Veteri Testamento adducitur, tanquam ad sacram anchorã tutò nos recipere possumus, & debemus. Unde & jure præ cæteris linguis omnibus, sanctitatis nomine ut indigitaretur, obtinuit. Ea propter sancta hæc lingua, ut non modò conservaretur, sed & studiosis adolescentibus, & inter hos vel in primis S. S. Theologiæ tironibus subinde familiarior redderetur, quotquot doctiorum, atq; exercitatiorum curam aliquam adhibuerunt, digni profectò sunt, quos revereamur, honoremus, eorumque labores grati exosculemur: nec non, siquid utile, siquid præclarum, adeoq; luce dignum meditati sint, id, quantũ per vires nostras licet, ab interitu vindicemus: maximè methodum nobis si monstrârunt ejusmodi, qua & minimam pretiosi temporis jacturam faciamus, & fructum laboris uberrimum reportemus.

Inter hos autem postremum locum minimè occupat doctissimus, & clarissimus vir, VALENTINUS SCHINDLERUS p. m. Hic enim, ut maximo studiosorum emolumento, ita & eximia laude, cùm viva voce, tum scriptis quibusdam, & in lucem editis libellis ante aliquot annos, primùm quidem in celeberrima Witebergensi universitate, deinde & in Julia seu Helmstadiensi (ubi & Naturæ debitum reddidit;) Academia, literas Hebraicas docuit. Licet autem, ut in Græca & Latina lingua, sic in Hebraica quoque varia Dictionaria, non solùm à Christianis, sed & ab ipsismet Judæorum Rabbinis evulgata sint: nihilominus tamen [redacted] SCHINDLERUS ut in Grammaticis præceptionibus id, quod sui muneris esse ratus est, præstitit: sic in singularum quoq; vocum significationibus explicandis, declarandisve majori etiam nisu sibi elaborandũ esse statuit. Eam itaq; ob causam per plures annos, quibus publicè docuit, ex varijs diversorũ Authorum diversarumq; linguarũ libris, ex Alcorano, Avicenna, Libello precationũ Turcico, Geographia Arabica, Genesi item, Psalterio, & N. T. Arabicè versis: Ex variis Rabbinorum scriptis: maximè autem ex authentico Bibliorum codice, quicquid ad amplificationẽ & propagationem sanctæ Hebrææ linguæ, & declarationem sacrosanctæ, Veteris præsertim Testamenti Scripturæ facere visum fuit, in unum comportavit. Opus autem ad umbilicum etsi perduxit, & semel atq; iterum, ut ipsius Adversaria testantur, relegerit: ob mortem tamen præmaturam, ut non satis recognoscere, & elimare, ita nec in congruentem ordinem omnia ubique redigere potuit. Hic verò defectus, ut ab aliis suppleretur, quidam ex Dn. SCHINDLERI familiarib. operis hujus utilitatẽ honestissimis quibusdam viris, & rem literariam quoque modo promovere unicè cupientibus, commendârunt, & fœtui huic posthumo, ut providerent, de ijs, qui obstetricandi munus obirent, institerunt. Illi itaque pro sua erga Musas Hebræas affectione, locum honestæ horum petitioni relinquentes, ipsum Autographũ Viro cuidam doctissimo, ea spe freti, ut quàm primùm publici juris fieret, describendum commiserunt. Provinciam hanc primò quidem ille satis promptè in se recepit: Verùm sive laborem in describendo fugiens, sive molestiam in digerendo, & revolvendo præsagiens, manum, operi non admovit. Unde factum ut ad meos tandem devolutum sit humeros. Quanquam autem & ego oblatũ onus cùm ob alias causas recusare potuerim, tum quòd, Regio Bibliorũ opere excepto, omnibus ferè libris, ex quibus Lexicon nostrum congestum est, fuerim destitutus: tamen operis perpendens utilitatem, & eorum, qui laborem hunc à me requisivêre, promptam erga me benevolentiam, grato animo acceptans, Autographũ SCHINDLERI, plurimis in locis confusum, & intricatũ ad manus sumpsi, ac describendo in eum, quem Lector benevolus hîc spectat, ordinem, labore profectò haud mediocri, sæpe etiam magno cum tædio, redegi. Sed hoc studium meum si commendationem bonorum commeruerit, & linguarum studiosis speratum attulerit fructum, non pœnitebit me insumpti laboris, non devorati tædii: Deo Opt. Maximo gratias agens, ipsius benignitate opus jam tandem ad finem esse perductum. Hisce ita præmissis, nũc porrò, ut Lector candidus fructu, quàm fieri potest, maximo ipsummet opus evolvat, operæpretium me facturum existimo, si, quid Autor noster hoc in Dictionario præstare animũ intenderit paucis explicavero. Hoc verò est, linguas Orientales, quæ quidem ad genuinum S. Sripturæ sensum eliciendum aliquod afferre possunt adjumentũ, Hebraicam inquam, & huic cognatas, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Rabbinicam, & Talmudicam, unâ & eâdem quodammodo operâ docere: & simul pluribus in medium adductis exemplis monstrare viam, qua & verus Sacrarũ literarum sensus erui, & causæ, propter quas interpretes, non Latinus modò, & hoc recentior Germanus, sed & Chaldæi, &

Græci alicubi fuerint allucinati, investigari possint. Propositum verò suũ ut assequeretur, diversam à communi, & vulgò hactenus recepta, ingressus est docendi methodum. Cùm enim cæteri λεξικόγραφοι linguas modò commemoratas suis in Dictionariis, & quidẽ Hebraicam ex Hebræis, præter alios David Kimhi, & Joseph Caspi: ex Latinis Pagninus, Forsterus, Avenarius, Marcus Marinus: Chaldaicam, ut & Rabbinicam Elias Levita: Talmudicã, R. Nathan: Et deniq; Syriacam, Andreas Masius, separatim tractârint; Autor noster linguas illas simul omnes, ubicunq; id fieri potuit, uno intuitu Lectori contemplandas, atq; animo comprehẽdendas proponit. Fundamenti loco omniũ primò Hebraicã collocavit. Et meritò: hæc enim omnium prima, ut præter nostros testatur & Targum Hierosol. Gen. 11. v. 1. hisce verbis: וַהֲוֺן כָּל דַּיְירֵי אַרְעָא לִישָׁן חַד וּמַמְלַל חַד וְעֵיצָה חֲדָא אֲרוּ' בְּלִישָׁן קוּדְשָׁא הֲווֹ מְמַלְלִין דְּבֵהּ אִתְבְּרֵי עָלְמָא מִן שֵׁירוּיָא: Ejusdem sententiæ & Talmudistæ sunt, & Aben Ezra: quorum testimonia in Rad.
+fol. 1921 שפה citantur. Quòd si prima, ergò & mater, origo, & fons, unde reliquæ, maximè propinquiores illæ, tanquam rivuli fuêre deductæ, & propagatæ. Secundo deinde loco collocavit Chaldaicam: tertio Syriacam: quarto, licet Syriacâ antiquiorem, Arabicam: Rabbinicam, & Talmudicam, loco cuiq; congruente. Ex hac collocatione, singulæ hæ linguæ σχέσιν ad se invicem quam habeant, cùm omnibus conspicuum sit, nemo non videt, compendio temporis, & laboris longè majori, quàm unquàm aliâs linguas hasce cognatas à quolibet, modò φιλομαθειογλώσσῳ, posse addisci. Ut quoq; obiter innueret voces habere Græcos quidem & Latinos origine Hebræas: Rabbinos verò contrà, origine Græcas, vel Latinas, nomini Hebræo explicationẽ immediatè subjũgit cognatã: ut, סם σής, שכר σικὴρ vel σίκερα, גר γείωρ, תור ταῦρος, תמר θάμαρ, פלח φέλλω &c. & ita פיטס πέλεκυς, פלכין, חלה, פילון, פורן φέρνη, פיג, סימן σημεῖον, סיפינא σινδών, temetũ, סרין sindon, עגורין nodi, סלוי sylva, סיקר sicarius, סמל simile, seu idolum, נטר nitrũ, נץ nisus, &c. Radices, non ut à Pagnino, juxta verborum, & nominum accidentia, sed juxta significationũ varietatem sunt dispositæ: non item ad earum explicationes Rabbinorum Cõmentaria, sed sacrosancta divini Spiritus adhibita sunt eloquia. Significationes enim & propriæ, & figuratæ vel inter se conferũtur, vel similium in sacro Textu locorum collatione illustrantur, vel
+1887. ex antecedentibus aut consequentibus eruuntur. V. g. השמים significare DEUM, non Rabbinis tantùm, de quo Elias in Tischbi: sed etiam Prophetis, & Euangelistis, ostenditur ex Dan. 4. v. 23. Matth. 11. v. 11. Luc. 15. v. 18. Vide in Rad. שמה. Esa. 9. v. 11. בכל פה, Lxx. significatione reddunt communiori; ὅλῳ τῷ στόματι. Hos secuti Hieron. *toto ore*: Et Germanus interpres **mit vollem maul**. fortè propter verbũ præcedens ויאכלו. Verùm cùm verb. אכל aliis quoq; rebus, ut gladio, igni, &c. per Metaphorã tribuatur, SCHINDLERUS interpretibus memoratis præponit Chaldæum, qui habet בכל אתר *in omni loco*, atque id quia præcedit immediatè, *Syri* מקדם, *& Philisthỹm* מאחור. Vide pag. 1423, d. Esa. 42. v. 22. pro הפח, Lxx. *habent* παγίς, Hieron. *laqueus*: quòd punctis destituti legerint הפח. at ex eo q. præcedit, עם בזוז ושסוי, SCHINDLERUS reddit, *sufflantur*, hoc est, cũtemnuntur, pag. 1426, e. Lev. 19. v. 13. פעלה non opus seu actionem ipsam, ut quidem aliâs, & propriè, sed *actionis fructum* significare, manifestũ est ex Deut 24. v. 15. ibi enim pro eo habetur שכר. Psalm. 51. v. 9. & alibi, אזוב non significare hyssopum, ut plærique interpretum, propter vocum convenientiam sunt arbitrati, sed *rutam murariam*, monstratur pag. 48. ex 1. Reg. 4. v. 32.

Præter פסוק autem, sive ipsa Scripturæ verba, quòd ubique ferè interpretes allegat Author, facit id primò quidem, ut linguas, Hebraicam & Chaldaicam in Veteri, Syriacam verò, & Arabicam in Novo Testamento conferat, deinde ut suam interpretationem aliorum suffragio confirmet, tertiò, ut sicubi aberrârint, causas allucinationis indaget. Cùm verò jucundissimum sit & utilissimũ videre cur quisq; interpretum hinc inde à scopo aberrârit, totam Dn. SCHINDLERI hac de re doctrinam, & quidem exemplis sufficientibus illustratam, in gratiam Lectoris hîc in brevi συνόψει subjiciam. Sunt itaque interpretes allucinati, vel quòd Biblia nacti fuerint punctis carentia, vel quòd literas pro literis propter similitudinem, eamq; vel figuræ, vel soni acceperint, vel quòd dictionem pro dictione, ob vocis itidem similitudinem, literam aut omittentes, aut inserentes, aut transponentes legerint, vel quòd unam dictionem in duas discerpserint, & contrà duas in unam cõtraxerint, vel quòd propria appellativè, & contrà appellativa propriè acceperint, vel deniq; quòd ad vocum quarundam significationes non in Sancta lingua, sed in aliis, maximè Chaldaica, usitatas respexerint.

Equidem ob punctorum absentiam interpretes nunquã non à veritate deflexisse, evidentissimum est ex sequentibus: Eccl. 12. v. 7. יִרְאוּ *timebunt*, Lxx. ὄψονται, q. יִרְאוּ *videbunt*. Esa. 5. v. 17. כְּבָשִׂים *arietes*, Lxx. διηρπασμένοι *oppressi*: q. כְּבֻשִׁים. Esa. 17. v. 11. וּכְאֵב אָנוּשׁ, Lxx. καὶ ὡς πατὴρ ἀνθρώπου,

*θρώπου*: q. וּכְאָב אֱנוֹשׁ. Psalm. 88. v. 11. *Si* רְפָאִים *mortui resurgent*, Lxx. *ἢ ἰατροὶ ἀναστήσουσι medici suscitabunt?* q. רֹפְאִים יְקִימוּ. Hos. 4. v. 18. מָגִנֶּיהָ *clypei (principes) ejus*, Lxx. *ἐκ φρυάγματος αὐτῆς*: q. מִגַּאֲוָתָהּ. Psalm. 120. v. 5. גַּרְתִּי מֶשֶׁךְ *habitavi (cum) Mesech*, Lxx. *ἡ παροικία μου ἐμακρύνθη*: q. גַּרְתִּי מָשַׁךְ. Esa. 8. v. 9. דָּבָר, Lxx. *τὸν θάνατον*: q. דֶּבֶר. sic contrà, Psalm. 91. v. 6. מִדֶּבֶר *à peste*, Lxx. *ἀπὸ πράγματος*: q. מִדָּבָר. Hos. 3. v. 1. אֲהֻבַת רֵעַ *amatam (à) socio*, Lxx. *ἀγαπῶσαν πονηρά*: q. רַע *malum*. Gen. 15. v. 11. וַיַּשֵּׁב אֹתָם, Lxx. *συνεκάθισεν αὐτοῖς*: q. וַיֵּשֶׁב אִתָּם. 1. Reg. 10. v. 19. עָגֹל *rotundum*, Lxx. *μόσχων*: q. עֵגֶל, &c.

Sunt multi doctissimi clarissimiq; viri, qui ideo, quòd quidam Judęorum Rabbini longè post 22. Alphabethi literas puncta ab hominibus invēta esse asserant, uno eodemq; cum consonantibus tempore Hebræorum vocales non extitisse, existimant. Verùm loca Scripturę, è multis pauca modò enumerata, si attentiùs consideretur, perspicuum evadet, puncta unà cum 22. literis, aut orta esse; aut Scripturam olim cerei instar, nunc in hanc partem, nunc in illam fuisse flexibilem. Et si puncta ab hominibus sunt inventa, sequitur necessariò, Scripturam hoc nostro tempore authoritatem habere, non divinam, sed humanam.

Similitudo porrò literarum, quoad figuram, multiplex est. Eaque aut similior, aut dissimilior. Inter literas quæ similiores sunt, primum locum occupant ד & ר: harum enim similitudo interpretibus imposuit, cùm in aliis locis, tum in his: Ezech. 21. vers. 17. יְרֵכֶךָ *fœmur tuum*, Lxx. *τὴν χεῖρά σου*: q. יָדְךָ. Job. 35. ult. יַכְבִּר *multiplicabit*, Lxx. *βαρύνει*: q. יַכְבִּד. Amos 4. ver. 5. תּוֹדָה *confessionē*, Lxx. *νόμον*: q. תּוֹרָה. Hos. 7. v. 14. יִתְגּוֹרָרוּ *congregabuntur*, Lxx. *κατετέμνοντο concidebantur*: q. יִתְגּוֹדָדוּ. Esa. 29. vers. 3. כַּדּוּר (sicut) *sphæra*, Lxx. *ὡς Δαβίδ*: q. כְּדָוִד. 1. Sam. 19. vers. 16. כְּבִיר *pulvinar*, Lxx. *ἧπαρ*: [redacted]LERUS: sed Complut *στρογγύλωμα τῶν τριχῶν stragulum pilorum*. Genes. 49. vers. 14. חֲמוֹר גָּרֶם *asinus ossis*, Lxx. *τὸ καλὸν ἐπεθύμησεν*: leg. חָמוּד גֵּרַם. II. ה & ח Job 30. vers. 2. כָּלַח *senium*, Lxx. *συντέλεια*: q. כָּלָה. Jerem. 16. vers. 7. יִפְרְסוּ לָהֶם *frangent illis*, Lxx. *κλασθῇ ἄρτος frangetur panis*: q. לֶחֶם. Psalm 29. vers. 2. בְּהַדְרַת קֹדֶשׁ *in decore sanctitatis*, Lxx. *ἐν αὐλῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ*: q. חֵדֶר vel חֶדְרַת *atrium*. Genes. 49. שִׁילֹה, Hieronym. *qui mittendus est*: q. à שָׁלַח. III. ב & כ. Job. 3. vers. 5. כִּמְרִירֵי יוֹם *vapores diei*. Vulg. *Et involvatur amaritudine*: legit בִּמְרִירִים, à מרר. Eccles. 5. v. 16. יֹאכֵל *comedet*, Lxx. *καὶ ἐν πένθει*: q. ab אֵבֶל *luctus*. IV. ם & ס: Genes. 49. vers. 14. גָּרֶם *ossis*, Lxx. *ἐπεθύμησεν*: q. גָּרַס *desideravit*. Esa. 30. vers. 4. חָנֵס *Hanes*: nomen urbis. Lxx. *μάτην*: q. חִנָּם. V. ו & ז. Psalm. 50. vers. 11. וְזִיז *& fera*, Lxx. *ὡραιότης pulchritudo*: q. זִיו. VI. ו & ן: Psalm. 114. vers. 13. מִזַּן אֶל זַן *à cibo ad cibum*, Lxx. *ἐκ τούτου εἰς τοῦτο*: q. מִזּוּ אֶל זוּ. VII. ו & י: Zach. 14. vers. 6. יְקָרוֹת *splendores*, Lxx. *καὶ ψῦχος & frigus*: q. וְקָרוֹת. Genes. 49. vers. 5. כְּלֵי *vasa*, Lxx. *συντέλεσαν*: q. כִּלּוּ. Thren. 2. in Mem: כַּיָּם *sicut mare*, Lxx. *ποτήριον*: q. כּוֹס. hoc in exemplo & ס pro ם legerunt. Cant 7. vers. 9. דּוֹבֵב *loquens*, Lxx. *ἱκανούμενος*: q. דַּי. VIII. ז & ן. Esa. 30. vers. 12. וְנָלוֹז *& perverso*, Lxx. *καὶ ὅτι ἐγόγγυσας & quia murmurasti*. Hieron. *Et tumultu*: q. נָלוֹן, à לון *murmuravit*.

Quæ sequuntur literæ, dissimiliores mea opinione sunt, quàm ut Lectoribus, ne dicam interpretibus attentis, dubium aliquod movere potuissent: sed cum à [redacted]. SCHINDLERO ad hanc quoque classem referantur, ego earum etiam exempla præcedentibus adjungam. Inter has primum locum tribuo literis נ & ב: Deuter. 12. תְּנַקֵּשׁ *impingas*, ut & Targum habet: at Lxx. *ἐκζητήσῃς inquiras*: q. תְּבַקֵּשׁ. II. ט & ש: Ezech. 16. v. 30. שַׁלָּטֶת *imperiosæ*, Lxx. *τρισσῶς tripliciter*: q. שְׁלֹשֶׁת. III. ט & ם. Psalm. 90. vers. 9. כְּמוֹ הֶגֶה *sicut sermonem*, Lxx. *ὡσεὶ ἀράχνη ἐμελέτων sicut aranea meditabuntur*: legerunt כְּטוֹ, & acceperunt pro Chald טוּיָארָה *aranea*. IV. ו & ר: Esa. 28. vers. 13. צַו לָצָו *mandatum ad mandatum*, Lxx. *θλῖψις ἐπὶ θλῖψιν*: q. צַר לְצָר. Psalm. 139. vers. 15. רֻקַּמְתִּי *contextus* seu *formatus sum*, Lxx. *καὶ ἡ ὑπόστασίς μου & statura mea*: legerunt וְקָמָתִי. 1. Sam. 14. vers. 47. יַרְשִׁיעַ *commovebat*, Lxx. *ἐσώζετο salvabatur*: legerunt יוֹשִׁיעַ: V. ב & ם: Exod. 38. vers. 8. הַצֹּבְאוֹת אֲשֶׁר צָבְאוּ *militantium quæ militabant*, Lxx. *τῶν νηστευσασῶν αἳ ἐνήστευσαν jejunantium quæ jejunabant*: q. à צוּם *jejunavit*. VI. ה & ם: Genes. 1. versic. 9. יִקָּווּ *congregentur autem aquæ sub cœlo ad* מָקוֹם, Lxx. *συναγωγὴν congregationem*: q. מִקְוֵה. VII. ב & פ: Malach. 2. versiculo 3. פֶּרֶשׁ *stercus*, Lxx. *ἤνυστρον ventriculum*: legerunt כֶּרֶשׂ. Jerem. 48. versic. 45. מִכֹּחַ à *robore*. Hieron. *de laqueo*: q. מִפַּח. VIII. א & ם: Hoseæ 13. vers. 8. כְּלָבִיא *sicut Leo*, Lxx. *σκύμνοι catuli*: q. כְּלָבִים. IX. ב & ט: Job. 13. vers. 15. יִקְטְלֵנִי *occidet me*, Lxx. *χειρώσηταί ceperit me*: q. יְקַבְּלֵנִי. X. ם & ר: Zachar. 13. vers. 1. מָקוֹר *fons*, Lxx. *τόπος*: q. מָקוֹם. XI. ר & ה: Esaiæ 8. vers. 12. קֶשֶׁר, Targum מְרוֹד *rebellio*: liga. at Lxx. *σκληρὸν durum*: q. קָשָׁה. Job. 9. vers. 26. *cum navibus* אֵבֶה *cupiditatis*: cupidis eundi. Lxx. *ἰσχυρῶν fortibus*: q. ab אבר. Hæc de similitudine literarum quoad figuram.

Literæ quoad sonum similes aliquo modo sunt eæ, quæ eodem instrumento proferuntur. Quomodo autem hac literarum similitudine, vel cognatione interpretes sint de-

cepti patefiet ex sequentibus. Pronunciationis instrumenta secundùm Authorem Libri יצירה sunt quinque; גרון *guttur*, חיך *palatum*, לשון *lingua*, שנים *dentes*, שפתים *labia*. Gutturis adminiculo quæ proferuntur sunt literæ אהחע: Jeremiæ 17. חררים *adusta*: Targum בלאולד *absque liberis*: quasi עריריים *steriles*. Zophon. 2. versiculo 14. חרב *vastitas*, Lxx. κόρακες, Vulg. *corvus*: quasi ערב. 1. Samuel. 23. versiculo 21. חמלתם *miserti estis*, Lxx. ἐπονέσατε: quasi עמלתם. Hoseæ 8. פרא *onager*, Lxx. ἀνέθαλεν *germinavit*: quasi פרה *fructificavit, crevit*. 1. Reg. 12. versiculo 16. ראה *vide*: provide. Lxx. βόσκε *pasce*: quasi רעה. II. Quæ Palati, sunt גיכק: Hoseæ 9. versiculo 9. העמיקו *profundarunt*, Lxx. κατέπηξαν *confixerunt*: quasi המעיכו. in hac voce מ & ע sunt transposita. 1. Regum 9. versic. 12. כבול *Cabul*, Lxx. ὅριον *terminum*: quasi גבול. Psalm. 2. versic. 12. נשקו *osculamini*, Lxx. δράξασθε παιδείας *apprehendite disciplinam*: quasi נשגו. Zachariæ 5. versiculo 3. נקה *vacuus*, Targum לקי *percussus*: quasi נכה. III. Quæ linguæ, דטלנת: Psalm. 60. versiculo 6. *dedisti timentibus*, &c. Lxx. ἔδωκας τοῖς φοβουμένοις σε σημείωσιν τοῦ φυγεῖν ἀπὸ προσώπου τόξου: acceperunt קשט pro קשט: Et insuper נס להתנוסס *signum ad exaltandum*. pro נוס *fugit*. 1. Samuel. 6. versiculo 18. אבל הגדלה *campum magnum*, Targum אבנא רבתא *lapidem magnum*. IV. Quæ dentium, זסצרש: Job 35. versiculo 10. זמירות *psalmos*, Lxx. φυλακάς *custodias*: quasi שמירות. Esaiæ 60. versiculo 4. *Super* צד *latus*, Hieronym *ad ubera*: accepit pro שד *uber*. Esaiæ 33. versiculo 18. נועז *fortem*, Lxx. συνεβουλεύοντο: quasi à יעץ *consuluit*. V. Quæ labiorum, בומף: Esaiæ 40. עצמה *robur*, Lxx. λύπην: quasi עצבה *tristitia*. 2. Samuelis 1. versiculo 19. הצבי *ò decus Israëlis*, Hieronymus, *considera Israël*: quasi צפה *speculatus est*. 1. Sam. 13. versiculo 21. פצירה *lima*, Lxx τρύγητος *vindemia*: quasi בצירה. Deuteronomii 1. vers. 13. לשבטיכם *tribubus vestris*, Lxx. τοῖς κριταῖς ὑμῶν: q. לשפטיכם. Esa. 9. v. 6. למרבה *multiplicationi*, Lxx καὶ ὑγίειαν αὐτῷ *& sanitatem ipsi*: q. à רפא *sanavit*. Ezech. 20. v. 16. צבי *voluptas* vel *gloria*, Lxx. κηρίον: q. à צוף *favus*. 1. Reg. 20. v. 18. ויתחפש *& denudavit se*, Lxx. κατεδήσατο: quasi חבש *ligavit*.

Dictiones pro dictionibus itidem, propter aliquam ad se invicem, quam habent, soni similitudinem, sunt expositæ. Et hîc quidem interpretes primò literam neglexerunt: idque vel in medio dictionis, vel in fine. In fine: Proverbiorum 7. versiculo 17. אהלים *sandalis*, Lxx. τὸν δὲ οἶκόν μου: legerunt אהלי *tabernaculum meum*. Psalm. 58. versiculo 9. נפל אשת *abortivus mulieris*, Lxx. ἐπέπεσε πῦρ: quasi נפל אש *cecidit ignis*. Proverbior. 24. versiculo 22. ופיד *& exitium*, Targum וספותא *& labia*: quasi ופי *& os*. In medio: Joel 1. versic. 17. פרדות *grana*, Lxx. δαμάλεις: quasi פרות. Esaiæ 45. versiculo 16. *abierunt in ignominia* חרשי צירים *fabricatores idolorum*, Lxx. ἐγκαινίζεσθε πρός με νῆσοι *innovamini ad me insulæ*: legerunt חרשו ציים. Hîc præterquam quòd ר in צירים neglectum, literæ quoque ר & י in nomine חרשי, mutatæ sunt ו & ר. Jeremiæ 11. נשחיתה *perdamus arborem*, Targum נרמי *projiciemus*: quasi נשיתה *ponemus*: à שות.

Deinde, modo contrario literam legerunt absentem, & ad dictionem exponendam non pertinentem, similiter vel in medio dictionis, vel in fine. In fine: Hoseæ 13. versic. 10. אהי *ubi?* idem quod איה, per metathesin. at Hieron. *ero*: quasi אהיה. In medio: Esaiæ 27. *In gladio suo* הקשה *duro*, Lxx. τὴν ἁγίαν: quasi הקדשה *sancta*. Ecclesiast. 8. vers. 12. *Et facit malum* מאת *centum*, Lxx. ἀπὸ τότε: quasi מעתה *ex hoc nunc*: hîc quoque literæ gutturales א & ע invicem sunt commutatæ.

Tertiò denique literas inter legendum transposuerunt: ut, 2. Samuelis 23. versic. 7. בשבת *in sessione* seu *mansione*, Lxx. εἰς αἰσχύνην *in pudorem*: quasi בבשת. Jud. 20. versic. 43. כתרו *cinxerunt*, Lxx. κατέκοψαν *interemerunt*: quasi à כרת *abscidit*. Zachar. 3. vers. 9. מפתח פתחה *sculpo sculpturam ejus*, Lxx. ὀρύσσω βόθρον *fodio foveam*: quasi פחת *fovea*. ut & Mich. 5. versic. 5. בפתחיה *in ostijs*, vel *in gladijs* seu *armis ejus*: juxta Psalm. 55. versic. 22. Et quia præcedit, *Et pascent terram Assur gladio*. At Lxx. ἐν τῇ τάφρῳ αὐτῆς: quasi פחת. Esaiæ 57. versic. 9. רקחיך *pigmenta tua*, Lxx. μακρὰν ἀπὸ σοῦ: quasi רחקים. Psal. 20. נדגל *vexillabimus*, Lxx. μεγαλυνθησόμεθα: quasi נגדל. Prov. 20. מתעבר *transit*, Targum מתחלט *immiscet se*: legit מתערב. Amos 9. כפתר *superliminare*, Lxx. ἱλαστήριον: quasi כפרת.

Pro dictione una duas fuisse lectas constat: Ezech. 27. versic. 5. לחותים *tabulas* sive *naves*, Hieron. *tabulatum maris*: quasi לחות ים. Psalm. 4. versic. 3. כבודי לכלמה *gloria mea in ignominiam*, Lxx. βαρυκάρδιοι· ἱνατί ἀγαπᾶτε ματαιότητα: legerunt כבודי לב למה *graves corde, quare* &c. Hîc & literarum כ ב similitudo, & absentia punctorum malæ interpretationis causa fuit. Cantic. 7. versic. 9. vide pag. 353 D. Proverb. 23. vers. 29. למי אבוי *cui væ est?* Hieron. *cujus patri væ?* quasi למי אב אוי. Genes. 49. *Inde Pastor* אבן *lapis Israël*, hoc est, universus Israël. Targum *qui verbo suo pavit* אבהן ובנין *patres & filios*: quasi à אב & בן. Contrarium animadvertitur, Genes. 28. versic. 19. ואולם לוז *& verè Luz*. Lxx. Οὐλαμμαούς: Alii Οὐλαμλούζ. Zachar. 11. vers. 11. *Et cognoverunt*

*gnoverunt* לָכֵן עֲנִיֵּי הַצֹּאן *sic afflicti gregis*, LXX. οἱ χαναναῖοι: quasi בְּנַעֲנִי. pag. 1352 E. Amos 4. vers. 13. שֵׂחוֹ מַה־שֵּׂחוֹ *quæ* (sit) *cogitatio illius*, LXX. τὸν χριστὸν αὐτοῦ: q. מְשִׁיחוֹ. 2. Reg. 2. versic. 14. אַף־הוּא *etiam ipse*, LXX. ἀπφῶ. Al. ἀφῶ.

Antecedentia autem, & consequentia, atque adeo tota orationis structura, satis accuratè quòd non vel considerata, vel cum aliis similibus Scripturæ locis collata fuerit, causa quoque extitit, ut interpretes non leviter fuerint lapsi, & propria appellativè alicubi reddiderint, & contrà, appellativa propriè. Illud contigit, Psalm. 60. versic 8. *Vallem* סֻכּוֹת *Succoth mettar*, LXX. τῶν σκηνῶν *tabernaculorum*. Amos 7. v. 9. *Et desolabuntur excelsa* יִשְׂחָק *Isaac*, LXX. γέλωτος *risus*. Verùm proprium esse sequentia declarant. Jud. 4. *planicies* בְּצַעֲנַנִּים *in Zaanannim*, Targum אַגְנֵיָּא *puteorum*: accep. pro Rabb. בְּצָנִים *cisterna*. 2. Reg. 5. versic. 10. *Percussit eum* קָבַל־עַם *Kabolam*, Targum קֳדָם עַמָּא *coram populo*, &c. CONTRA, appellativa propriè sunt exposita: Amos 1. v. 15. מַלְכָּם *rex eorum*, Hieron. *Melchom*. 2. Sam. 21. v. 20. אִישׁ מָדוֹן *vir mensura*, LXX. ἀνὴρ ἐκ Μαδὼν. sed proprium non esse, colligitur ex 1. Paralip. 20. ubi habetur, אִישׁ מִדָּה: quæ locutio reperitur, Numer. 13. v. 32. Jerem. 48. v. 4. צְעִירֶיהָ *parvuli ejus*: Targum שִׁלְטוֹנֵיהוֹן die kleine Herren. at LXX. εἰς Ζόγορα *ad Zogora*. Hîc ע, ut aliàs, per γ seu g exprimitur. Jerem. 29. *Ad* נֶחֱלָמִי *somniatorem*, Targum דְּמִן חֵלָם *qui est ex Halem*. 1. Sam. 20. v. 20. לְמַטָּרָה *in signum*, LXX. εἰς τὴν ἀματταρί, &c.

Causis hucusque quas recensui, meritò annumerandum, quòd interpretes respexerunt alicubi ad verborum quorundam, seu vocum significationes, non in Sancta lingua, sed in Chaldaica, & fortè aliis usitatas: ut, Hoseæ 4. versiculo 18. סָר *recessit potus eorum*, LXX. Χαναναίοις, ita & Targum בְּאִישׁ *fœtet*. acceperunt pro Chaldaico סְרִי *fœtuit*. Deuter. 11. versiculo 16. *ne forte* יִפְתֶּה *persuadeatur cor tuum*: LXX. πλατυνθῇ *dilatetur*. acceperunt pro Chaldaico פְּתָא *latus fuit*. Psalm. 60. versiculo 10. *Olla* רַחְצִי *lotionis meæ*. LXX. τῆς ἐλπίδος μου: pro Chaldaico רְחַץ *confisus est, speravit*. Esaiæ 53. versiculo 10. *Deus voluit* דַּכְּאוֹ *contundere illum*: LXX. καθαρίσαι αὐτὸν: pro Chaldaico דְּכָא *mundavit*. Ecclesiast. 12. v. 5. *Et dissipatur* הָאֲבִיּוֹנָה *cupiditas*, scilicet Veneris: Hieronymus, *capparis*: Rabbinis אֲבִיּוֹנוֹת *baccæ capparis* dicuntur. Psalm. 58. versic. 9. נֵפֶל אֵשֶׁת *abortivum mulieris*: Targum הֵיךְ נְפִילָא וְאָשׁוּתָא *sicut abortivus & talpa*. accepit אֵשֶׁת pro Chald. & Rabb. אָשׁוּת *talpa*: Et ו copulativum addidit de suo.

Quòd quandoque non ipsa Scripturæ verba πρὸς λέξιν, seu, ut Hebræi loquuntur, מִלָּה בְּמִלָּה redduntur, sed tantùm sensus exprimitur: Et contrà, figuratè in textu quod dicitur, id in Translationibus alicubi propriè vertitur, etsi minoris sit momenti, cùm eo modo Scripturæ sensus non periclitetur, utile tamen est, ut & hoc observetur. Exempla habentur, 2. Samuelis 21. versiculo 2. מִיֶּתֶר *ex residuo*: reliquiis. LXX. ἐκ τοῦ αἵματος. Esaiæ 48. versiculo 10. בְּכוּר עֹנִי *in camino ignis*: Metaphora. Targum בְּרַחוֹן מִסְכְּנוּ *in pressura paupertatis*. Deuteronomii 2. vers. 19. צְבָא הַשָּׁמַיִם *exercitum cœlorum*: LXX. τὸν κόσμον, Hieronymus, *Et omnia astra cœli*. Jeremiæ 50. versiculo 27. *Occidite omnes* פָּרֶיהָ *juvencos ejus*: Metaphora. Vulg. *fortes ejus*. 1. Samuelis 24. וַיְשַׁסַּע *& disrupit David viros suos verbis suis*: Targ. וּפַיֵּס *& persuasit*. ita & LXX. καὶ ἔπεισε. Job. 15. *Curret ad illum* בְּצַוָּאר *in collo*, scilicet extento: LXX. ἐν ὕβρει *in injuria*. Hæc inquam, & ejus generis similia, levioris sunt ponderis, & tamen notanda. Præstat aliquando neglectâ propriâ verbi alicujus significatione sensum tantùm exprimi. Nam cùm D. Hieronymus, vel quicunque Vulgatæ editionis author est, Exodi 34. versiculo 29, & 30. verbum קָרַן non per radiare, coruscare, aut glorificatum esse, sed *esse cornutum* (quod propriè denotat) interpretatus sit, factum est, ut Moses vulgò & pictus cornutus, & creditus fuerit. Melius ergò LXX. δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτός: Et Targ. סְגִי זִיו יְקָרָא *multiplicatus erat splendor gloriæ faciei ejus*.

Hæc ferè sunt, Lector Christiane, quæ de causis errorum, ab Interpretibus commissorum, hinc inde per totum librum recensentur. Et quidem ab Authore tanti illa fiunt, ut non dubitârit, in quascunque versiones Scripturæ, ex hoc fundamento animadversiones instituere, & castigationes, seu emendationes. Equidem Septuaginta, & qui hos pluribus in locis secutus est, Hieronymum, & Targumistas quòd attinet, quàm plurium errorum, obiter licet, Author noster reos egerit, patet è superioribus, & ampliùs patebit omnibus, quibus lectio hujus Dictionarij grata fuerit. Alicubi autem idem ex professo facere non veretur: ut, Genes. 38. v. 5. *Et erat* (Judas) בִּכְזִיב *in Cesib*: LXX. αὐτὴ δὲ ἦν ἐν Χασβί *ipsa autem erat in Chasbi*. Hac versione Septuaginta volunt, Thamar, cum Sela pareret, fuisse in Cesib. Sed falluntur: quia verbum הָיָה mascul. non potest referri ad nomen fœm. vide pag. 855 D. quo loco & Vulgata refellitur, quòd proprium כְּזִיב acceperit pro appellativo כָּזָב.

His omissis ad Germanum interpretem veniamus, nam & hic omnia vidisse non fuit

(**) 3 exsti-

existimatus: ut, Esaiæ 9. vers. 12. quo de loco suprà. Deut. 32. vers. 26. ubi pro אַפְאֵיהֶם interpres Germanus Hieronymum secutus, habet, wo sind sie? At SCHINDLERUS, *angulabo eos:* angulatim profligabo: Pag. 1416 C. Ezech. 34. versic. 16. וְאֶת הַשְּׁמֵנָה וְאֶת הַחֲזָקָה אַשְׁמִיד *& pinguem & fortem disperdam:* contrarium sensum exprimunt LXX. qui habent, καὶ τὸ ἰσχυρὸν φυλάξω: Hieron. *Et quod pingue & forte custodiam:* Germanus interpres, Und was fett unnd starck ist/ wil ich behüten/ Decepti similitudine literarum ד״ר, legerunt אֶשְׁמֹר: contrà quàm fecit Chaldæus, qui habet, וְיָת חַטָּאָה וְיָת חַיָּבַיָּא אֲשֵׁיצֵי *& impios & peccatores consumam:* Vide in Radice שָׁמַד. Vide item p. 26 B. & p. 1383 D. & alibi.

In emendatione [...]cæ Hosiandri duo notat SCHINDLERUS. Prius est, quòd Editionem Vulgatam sæpissimè non correxerit, ubi corrigi debuit: Posterius, quòd multis in locis malè correxerit. Malè autem, vel quòd non tam juxta veritatem Hebraicam, quàm versionem Lutheri Germanicam, Vulgatam emendaverit: vel quòd ipse deceptus, suis quibusdam rationibus, & à vulgata, & Luthero, atque adeo ab ipsismet sacris fontibus recesserit. Primi generis exempla habentur, Esaiæ 1. vers. 29. מֵאֵלִים *propter terebinthos:* Vulg. *ab idolis:* vide pagina 67 E, & 68 A. Hoseæ 7. vers. 14. יִתְגּוֹרָרוּ *congregabuntur:* Hieron. *ruminabant:* pag. 299 E, & 300 A. Zoph. 2. v. 14. חֹרֶב *vastitas:* Vulg. *corvus:* pag. 647 D. Esaiæ 33. vers. 18. נוֹעָז *fortem:* Vulg. *imprudentem:* pag. 780 A & B. Vide quoque Ezech. 34. vers. 25. pag. 818 B. Genes. 50. vers. 5. pag. 895 D. &c. Secundi generis loca sunt, Esaiæ 32. vers. 14. pag. 1234 B & C. Amos 7. vers. 1. pag. 302 A. Exod. 38. vers. 8. pag. 1675 A. Jerem. 50. vers. 57. pagina 1473 C. 1. Sam. 17. vers. 18. pag. 1383 D. &c. Tertii denique, Esaiæ 10. vers. 33. pagina 1417 D. Job 1. v. 22. ultimo, וְלֹא-נָתַן תִּפְלָה *& non dedit insulsum.* hunc sensum exprimit & Vulgata, *Neq; stultum quid locutus est;* Et Lutherus, und thet nichts thörlichs. Hosiander verò correxit: *Neque orationem locutus est.* Verùm aliud est תִּפְלָה, aliud תְּפִלָּה. HÆC NUNC hoc de argumento sufficiant: plura qui desiderat ipsum Lexicon evolvat. Quid verò, Christiane Lector, quid inquam statuendum de Authore hoc nostro, quod nulli tam veterum, quàm recentiorum: non Targumistis, non Septuaginta (horum si modò est, quam præ manibus habuit, versio Græca) non vulgatæ, non Luthero, non Hosiandro, non item aliis pepercerit? Equidem inter scribendum ea cùm usus sit moderatione, ut ne quidem durius aliquod verbulum, vel contra personam, vel contra rem ipsam, in toto opere, quod sciam, uspiam reperiatur, non aliorum vel labores suggillandi, vel ἐφημίων allatrandi libidine, sed veritatem in locis diversimodè expositis investigandi amore & studio, illum interpretes & inter se contulisse, & ad examen sanctæ Hebrææ linguæ revocâsse existimo. Interim tamen & ipse homo cùm fuerit, omnia ipsius dicta, ijs in locis, in quibus in vocabulorum, sive Grammatica resolutione, sive explicatione ab aliis dissentit, pro oraculis non sunt habenda: quinimò de hoc ipso Opere judicandi eam sibi quilibet vendicabit libertatem & modum, quibus ille in versionibus aliorum examinandis est usus. Ut porrò ea, quæ veritati minus consentanea fuere visa, respectu nullo, vel personæ, vel autoritatis habito, hîc liberè scribuntur: Sic è contrà, suum cuique ut tribuatur. Et loca quæ in Interpretibus, vel temporis injuria, vel injuria scribarum sunt depravata, hinc inde suæ quoque integritati restituuntur. Ut in Septuaginta, Proverb. 3. vers. 3. לוּחַ *tabula:* Sept. πλάτος *latitudine:* lege πλάκος. Psalm. 3. vers. 8. לֶחִי *maxillam:* Sept. ματαίως *sine causa:* lege μάθνας *maxillas.* Ezech. 20. vers. 26. בְּמַתְּנוֹתָם *in muneribus suis:* Sept. ἐν τοῖς δόγμασιν αὐτῶν: lege ἐν τοῖς δόμασιν. Hoseæ 4. בְעֵצוֹ *in ligno:* LXX. ἐν συμβόλοις: lege συμβούλαις *in consiliis:* acceperunt enim pro עֵצוֹת. Psalm. 31. versic. 16. עִתֹּתָי *tempora mea,* LXX. κλῆροί μου: lege καιροί. Jerem 50 versic. 8. כְּעַתּוּדִים, LXX. ὥσπερ δράκοντες: lege τράγοι, &c. In Targum: Esaiæ 37. versic. 22. לָעֲגָה *subsannatio tibi:* Targ. מְעִיקָא *tribulavit te:* lege מְמִיקָא *deridet.* Esaiæ 9. vers. 19. נֶעְתַּם *obscurata est:* Targum חֲרִיבָה *vastata est:* lege חֲרִיכָה *adusta est.* Proverb. 1. vers. 25. וַתִּפְרְעוּ *& irritum fecistis:* Targum וְשַׁנִּיתוּן *& mutastis:* lege וְשַׁטִּיתוּן *& sprevistis.* Proverb. 13. vers. 18. פּוֹרֵעַ *spernens:* Targum מְרִיס, lege מְדִישׁ *conculcavit,* &c. In vulgata: Zachar. 12. vers. 6. לַפִּיד, Vulg. *faciem ignis:* lege facem. Exod. 17. vers. 15. *Dominus* נִסִּי, Hieronym. *Exultatio mea:* lege exaltatio. Jud. 16. versic. 9. פְּתִיל הַנְּעֹרֶת *filum tortum stupæ,* Vulg. *filum de stupa tortum sputamine:* lege, filum tortum de stupæ putamine. Exod. 30. v. 3. *omnis transiens* עַל הַפְּקֻדִים *ad numeros:* Vulg. *ad nomen:* lege, numerũ. Jud. 15. v. 14. כַּפִּשְׁתִּים: Vulg. *sicut ligna:* lege, lina, &c. ANALYSIN vocabulorum Grammaticam, (ut & de hoc Lector admoneatur,) Author hoc in libro ex professo quidem, ut Pagninus fecit, & alii, non tractat, neq; etiam prorsus negligit. Negligit quidem vulgaria illa, seu regularia, de quibus ipse Author succinctè, & perspicuè in Grammatica sua Hebraica, & tabulis Syro-Chaldaicis

Merceri

Merceri à se evulgatis: sed ἀνωμαλώτερα, & quorum ratio minus exercitatis è vestigio non innotescit, passim satis diligenter, & sedulò explicat: ut, Proverb. 4. v. 21. יַלִּיזוּ pro יָלִיזוּ. Jud 7. v. 8. וַיִּקְחוּ pro וַיִּקָּחוּ. Jer. 18. תִּמְחֶה pro תִּמַּח. Psal. 68. v. 8. מִן pro מְנָה. Psal. 68. v. 13. יִדֹּדוּן pro יִדּוֹן. Hos. 10. v. 12. נִירוּ pro הָנִירוּ, &c. Eorum, quæ ad locorum quorundam declarationem, & nominum quorumcunq; propriorum explicationem ab Authore historicè affertur ex S. Scriptura, ex scriptis Rabbinorum, & quibusdam Arabum libris supervacaneum esse existimo ullam facere mentionem specialem; illa enim omnia maxima & voluptate, & utilitate sese studioso Lectori passim offerent.

Et hæc quidem hactenus. Postremo loco & de lingua Arabica aliquid dicendū. Hanc si quis fortè tantæ vel utilitatis esse negaverit, vel jucunditatis, ut locum hoc in Lexico; quod id præcipuè pro Theologiæ studiosis sit adornatum; non mereatur, sicque eidem aliquid vel temporis tribui, vel laboris impendi non debere, ne is ignavus sit & bardus oportet. Nam laborem quod attinet, & jacturam, quæ imaginatur, temporis, ex hoc ipso libro perspicuum evadit, quàm innumera Arabum vocabula leni tantum inflexione, vel Hebraica sint, vel Chaldaica; ita quidem, & si quis duas hasce linguas habuerit cognitas, & Arabicam, si non quoad genuinam pronunciationem (hæc enim & duplex esse, & perplexior creditur, quàm ut ab aliarum nationum hominibus, vel addisci possit, vel exprimi) tamen quoad intelligentiam, facilimo negocio sibi possit reddere familiarem. Hoc quidem ex libro etsi parum de scriptura seu characteribus Arabicis, eorumque genuina elocutione, de Etymologia item, & Syntaxi statui possit; potest tamen videri, quàm prope lingua hæc Hebraicæ cognata sit; potest item intelligi; quod certè quemvis ingenuum adolescentem maximoperè delectat; cujusnam sint linguæ, & quam habeant appellationis rationem vocabula quædam, quæ etiamnum hodie in usu sunt in Astronomia; ut, *Zenith, nadir, aux, almicantarath, azimuth, alhancabuth, dubb, aldigag. dalu, alasad, suhel, fumahant, faras, alarnab, deneb alcaytos, almugambra, algathi*, &c. Et in Historijs; ut, *Alkair, Carthago, Soldan* sive *Sultan, Othman, Soliman, Saraceni* (hi enim non ut putatur vulgò, à Sara dicuntur) *Chalifa, Cadi, Vesir, Mustafi*, &c. Et in Officinis; ut, *Dialtameron, robb, syrub, zibebe*, &c. Imò & in vulgari lingua Germanica vocabula reperiuntur origine Arabica: ut, Ziffern / Saffran / Hamel / Almanach / Mamluck / &c. Hinc patere cuivis arbitror, si vel maximè linguæ Arabicæ cognitio, ut quidem in hoc libro traditur, nullum afferre possit studiosis, quatenus quidem Theologiæ operam navant, adjumentum, tamen & ob causam modò allatam, & quòd Hebraicæ admodū sit cognata, meritò quoque, præter cæteras dialectos, hoc in Opere cùm Hebræa confertur & explicatur. Certè, si præter initia hæc à Domino SCHINDLERO tradita, à viris hujus linguæ peritis præcepta Grammatices, suis absoluta numeris, evulgaretur, & Lexicon scriberetur undiquaq; perfectum, ita ut his mediis instructi solidam aliquam hac in lingua cognitionem sibi comparare possint ii, quibus ad sublimiora, non in aula solùm seu Politia, & Medicina, sed in ipsa etiam Theologia ascendendi animus est, linguam Arabicam esse Germanis etiam futuram utilissimam, & honorificentissimam, neutiquam dubitarem.

Atque hæc sunt, Lector benevole, quæ proœmii loco, huic Lexico præmittenda duxi, ex quibus, ut opinor, & de labore Authoris in eo præstito, & de ejus utilitate judicium facilè sumes. Tu eo, ad gloriam Dei, & Ecclesiæ ædificationem feliciter utere, & nostros conatus boni consule. Schaffhemii, 28. Augusti, Anno à Nativitate Christi 1611.

# LITERA

## א Aleph.

PRIMA Alphabeti litera dicitur Hebræis אָלֶף, *aleph:* Chaldæis אַלְפָא, *alpa:* Syris אָלַף, *olaph:* Arabibus אָלִיף, *elif:* Græcis, ἄλφα. significat autem אֶלֶף *bovem*, cujus quandam ſimilitudinem figura א habet. Vel certè bovis nomine litera hæc inſignitur, quia, ut armenti quaſi dux bos eſt, ſic & א reliquas literas omnes antecedit.

Poteſtas ejus alia in orthographia eſt, alia in Etymologia. In orthographia valet Spiritum tenuem, quem initio dictionis, ante vocales, Latini ſubintelligunt: Græci per (') notant: ut, אָדָם ἀδὰμ, *Adam.* In Etymologia, modò radicalis eſt, modò ſervilis: & quidem ſervit in principio, medio & fine.

In principio, ut Hebræis, ita Chaldæis, Syris & Arabibus, formal aut primam futuri perſonam; ut à כָּתַב hebraicè fit אֶכְתֹּב, Chald. אֶכְתּוֹב, Syr. אֶכְתּוֹב, Arabicè אַכְתֻב *ſcribam.* aut nomen verbale; ut à צָבַע fit Hebraicè אֶצְבַּע, Chald. & Syr. אֶצְבַּע, Arab. אִצְבַע, *izba, digitus.* ¶ Apud Thalmudicos א reperitur loco אֶל, ut, אַלִּבָּא *ad cor*, אַרֵישָׁא *ſuper caput.* ¶ Pro ה item ſervili Hebræorum uſurpant Chaldæi, Syri, & Arabes literam א. primò pro ה Characteriſtica cõjugationum tertiæ & quartæ, nimirum hiphil & hithpael, v. g. à בָּדַל hebr. fit הִבְדִּיל, Chald. & Syr. אַבְדֵּל, Arab. אַבְדַל *diſtinxit.* à מְטַר Chald. fit אַמְטַר *pluit.* à בְּטַל *ceſſavit*, fit אבטל *abolevit.* באטל *inanis.* à verbo arabico גלס *galas, ſedit*, fit אגלס *aglas, collocavit.* Et in HITHpael pro hebraico הִתְבַּדֵּל, Chaldæi dicunt אִתְבַּדַּל, Syr. אֶתְבַּדַּל, Arabes אִתְבַּדַּל *ſeparatus fuit.* Secũdò uſurpatur pro ה articulo emphatico, ſed à Chaldæis, & Syris in fine; ab Arabibus verò in principio, idq; vel ſolùm, vel cum אַל *al.* Ut hebr. הַמֶּלֶךְ, Chal. & Syr. מַלְכָּא, Arab. אמלך *amlec*, & אלמלך *almelic, rex ille.*

In fine eſt pro ה fœminino, ut pro hebr. מַלְכָּה, & Arab. מלכה *melica*, Chald. & Syr. dicitur מַלְכָּא *regina.*

In fine item pluralem numerum generis maſculini format aliquando: ut à מַלְכָּא fit מַלְכַיָּא *reges.*

In medio verborum quieſcentium in Ainpoal, conſtituit participium præſens; ut דָּאִין *judicans*, à דָּן: תָּאִיב *revertens*, à תָּב *reverſus eſt.*

